



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Et ab alienis parce seruo tuo, si mei non fuerint dominati, tunc  
immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37005**

ut nesciam quibus pene ludicris ea tolli doceant. Sic Paulus. j. Corint. iiii. dicit, se nullius esse conscium, sed non in hoc iustificatum. Et Iacobus; In multis offendimus omnes. Has omnes ueritatis & humilitatis sententias, hypocritæ illi superbi simul extinguunt suis impijs cogitationibus, quibus opera bona, & merita excogitauerunt, & uenialia peccata a mortalibus distinxerunt, de quibus nunc dicit.

Et ab alienis parce seruo tuo, si mei non fuerint dominati, tunc im-  
maculatus ero, & emundabor a delicto maximo.

Hebræus ita: Etiam a superbis retine seruum tuum, non dominantur in me, tunc integer ero, & mundabor ab iniquitate multa. Interpretes uidentur legisse literâ, Res, pro dalet, ideo מִסְרִימִי Miserim, pro מִסְרִימִי, miscedim, id est alienos, pro superbis tradiderunt. Et qd̄, parce hic dicit, hebræis sonat in custodia, qua retinetur aliquis, ne faciat, uel patiat, Gen. xx. Custodiui te, ne peccares in me, id est retinui, Cuius uerbi Emphasis indicat periculum illud maximum & certamen periculosissimum, quo lupi rapaces hypocritæ, sub uestimētis ouium, quarunt deuorare animas simplices, & de pietate fidei (qua sola lex impletur & amatur) in superstitionem impietatis & operum abstrahere, quibus magis offenditur lex. Adeo scilicet magna res est, in pietate fidei perseverare, ut spiritus non possit satis monere & inculcare, ut a superbiorum hypocritarum blandis doctrinis caueamus.

Quanta uero fiducia pronunciat, eos superbos esse, Reuera enim, ubi fides non est, ibi operum fiducia sine fine superbit, sed tã occulto & spiritali dolo, ut prorsus intelligere ipsi nequeant, qui superbiunt, omnia enim, quæ humilitatis & pietatis sunt speciosius ostentant, quæ fideles, ut nemo queat esse tutus, nisi cui dominus pepercerit & ne rapiatur eorum exemplis & uerbis, retinuerit, sicut hic oratur & orari docetur. Hic sunt de quibus Ro. ult. dicit Qui per dulces sermones & benedictiones corda seducunt innocentium.

Dicit ergo: Contine seruum tuum, ne superbi isti me rapiant & fallant, si enim a te retentus fuero, ut nihil in me præualeant, quantumlibet speciosus exercitiis & pompis operum ac uerborum, tunc uere innocens, perfectus, integer, & simplex ero, teut. *Ein frommer man.* Vbi simul a contrario significat, sese futurum impium, si retentus nō fuerit, & illi in eum præualuerint. Amilla enim fide, in operibus confidet, & ullulabit cum lupis, qui antea fuit, ovis simplex Christi. Dixi superius, Interpretem nostrum, solere uocabulum Tham, pro immaculato ferme transferre, quod Apostolo Ro. xvj. innocētes seu simplices, græce, acacus, significat. Verba Apostoli, hunc uersum clare illuminantia sunt hæc: Obsecro uos fratres, ut obseruetis eos, qui dissensiones & offensa cula, iuxta doctrinam, quam uos didicistis faciunt, & declinetis ab illis: Huiusmodi enim Christo domino nostro non seruiunt, sed sibi uentri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Hic sane locus, innumerabiles Prophetarum & psalmodi loca elucidat, & in uniuersas hominum traditiones, mira energia, epistola & emphasi uerborum grassatur, ideo tenaci & presenti memoria tenendus omni Christiano pectori.

*Impietas delictū maximū.*

Et emundabor a delicto maximo, hoc delictum maximum multis, superbia esse putatur, id quod nō male, sed obscure & improprie, siquidem impietas, superbia est. Verum hoc uult Propheta, quod impij, a minutis illis peccatis mundantur, dum

cur, dum non occidunt, non furantur, non mechantur, sicut phariseus ille in Evangelio iactat (Nam & hæc præcepta Christus Matt. v. uocat minima) ceterum a magno illo & multo, per quod omnia polluntur etiã bona impiorum opera, adeo non mundantur, ut per ea ipsa opera magis etiam illo cõtaminentur. Hæc est impietas illa & incredulitas, ideo prophetam comparatiue loqui intelligamus, intuentem duas munditias diuersas duorum peccatorum, diuerso iudicio æstimatorum. Impij enim mundant sese, a peccatis minimis, id est, ijs qui per corpus, uiliorem partem hominis fieri possunt, neglecto maximo, id est, eo, quod per animam, maiore parte sua, indurati committunt nec uident. Pij contra parum habent, sese mundos esse, a minutis illis, nisi & ab illo magno munitate, quod unum, multa peccata facit, immo nihil nõ peccat. Et credo, prophetam impietatem istam, data opera insignire uoluisse epithero illo, ut multum & magnam, appellaret, (utrũq; enim רב Rab hebræum significat) Quod cetera peccata sic se habeat, ut quodlibet seorsum sit unum duntaxat peccatũ, hoc autem monstrum qui habet, simul multa & magna habet, eo quod omnia opera nostra, (quæ multa esse necesse est) pessima (ut uocant) circumstantia & uitio, inficiat, quæ est impietas in deum, ideo licet sit unum, simul tamen plurima & maxima peccata esse, recte dicitur.

Due mundicia  
Peccata minima.

Et erunt ut complacent eloquia oris mei, & meditatio cordis mei  
in conspectu tuo semper.

Domine adiutor meus, & redemptor meus.

Hic unus uersus est, Aduerbiũ, semper, supposititiũ est, Est ergo sensus, Si a delicto maximo mundus fuero & superbi in me nihil præualuerint, hoc est, si fide purificatrice cordis, non operibus contaminantibus iustus fuero, uere placatus ac gratus ero, in oculis tuis: Vbi autem ego gratus fuero, tum & eloquia mea, & meditatio mea, placita erunt. Arboris enim bonæ, fructus boni erunt, Contra, nemo præsumat eloquia sua placere, quæ tumlibet speciosa, si contra fidem, iustus fuerit, quia maculatus est delicto multo & magno.

Eloquia autem & meditatio cordis, quæ possunt, de cõmuni sermone aut orationibus intelligi, mihi tamen de uerbo doctrinæ intelligunt, qui enim pure credunt, pure statim docent, iuxta illud. Credidi, propter quod locutus sum. Neque enim latet ociosa fides, sed prodit & confitetur deum in salutem suam & aliorum, sicut superius, de sole procedere dixit, In hunc sensum arbitror adiecit, oris mei, & cordis mei, ut docendi signaret ministeriũ, Quare sensus fere est, is, qui psal. i. dicitur: Et folium eius nõ defluet, & omnia quæ faciet, prospera buntur, Sic enim & ibidem de bona arbore dicitur, Ita hic, si mundi sumus nos, placebunt deo conciones nostræ, cooperabitur & cõfirmabit, facietque eas prosperas procedere & conuertere etiam aduersarios, ut Prover. xvj. Si deo placuerit uita hominis, etiam inimicos eius conuertet ad pacem, Si mundi non erimus, quid restat, nisi ut displiceant, & nihil habeant prosperum, etiam amicos conuertant ad bellum.

Nec frustra addit, in conspectu tuo, Eloquia enim pura fidei odio sunt omnibus hominibus, sicut Christus prædixit Matth. v. & xij. quia crucifigunt uerum hominem, arguuntque mundum de peccato, id quod gratum est in conspectu dei, intolerabile autem in conspectu hominum, & tamen, quia placent deo, prosperantur, inuito etiam mundo.

Nn In hoc